



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

7. An peccata notoria poßint non praemissâ correctione judicialiter denunciari, & quando sit obligatio huius denunciationis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

pœnæ quamdiu horum delicta non essent publica aut delata per accusationem.

7. Respondeo & dico 2. Peccata notoria, hoc est, quæ in præsentia, multorum vel alio modo à pluribus cognoscuntur, possunt statim neq; præmissâ monitione aut correctione fraternâ judicialiter denunciari. Est communis cum D. Thoma q. 33. art. 7. in princip. juxta illud Pauli *1. ad Tim. 5. peccantem coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant.* Ratio. qui enim in publico peccat, eo ipso juribus secreti renunciat, neq; sperari potest corrigendus per monitionem secretam, cum præsentiam hominum & leges monentes non sit veritus. Item in tali denunciatione non solùm emendatio fratris intenditur, sed etiam reparatio scandali dati mediâ punitione. Obligatio verò denunciandi hæc peccata tunc erit, quando aderit, præceptum superioris, vel quando ex illis imminet damnum tertio aut communitati, quodq; per denunciationem reparari potest. Quod si peccata non fuerint in damnum tertii, sed solùm in damnum ipsius delinquentis, qui per correctionem emendat-

dandus præsumitur, eo quod peccatum non tam ex malitia quàm ex ignorantia processerit, tentanda videtur secreta correctio, antequam denunciatur, ut evitentur damna ex denunciatione provenientia. *Suar: tom: 4. de Relig: libr. 10. c. 12. n. 36.* Intellige, nisi adsit præceptum denunciationis, quod absq; dubio implendum est, non obstante correctione secretâ, & emendatione proximi ob finem prædictum, ne delicta impunita mancant, & videntes timorem habeant.

8. Respondeo & dico 3. delicta, quæ partim sunt secreta partim publica, qualia sunt, quæ non solum à te sed etiam ab alio sciuntur, quæq; in iure vocantur probabilia, denuncianda statim sunt, si in damnum tertii vergant, neq; opus præmittere correctionem secretam, inductionem ut testium, nisi casu quo firmiter credatur correctionem secretam profuturam. *Sua. D. 8. de charit. Sect: 6. n. 6. & de Relig: Tom: 4. lib. 10. cap. 12. num: 35. & 42.* Ratio, quia per denunciationem & defenditur innocens & corrigitur delinquens: qui nec corrigendus intelligitur neq; innocens